DISSERTATIO MEDICA
DE
CAUTA MIRACULORUM IN MEDICO FORO DIJUDICATIONE.

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

CAROLO CHRISTIANO ERDMANNO,

DUCE WIRTEMBERGIÆ, TECCIÆ, OELSNÆ ET BERNSTADII, cet.

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO & EXCELLENTISSIMO

DN. ELIA CAMERARIO,

M. D. P. P. O. Ser. Wirtemb. Duc. Consiliario & Archiatro,

Dn. Patrono & Promotori in æternum devenerando.

PRO LICENTIA,

Honoribusque Doctoralibus obtinendis publice defendet

WILH. LUDOVICUS OETINGER, Göpping.

TUBINGÆ, literis GEORGII FRIDERICI PFLICKII. 1733.



PRÆFATIO.



MIracula Pariſienſibus facta ſunt ab aliquot retrò annis ſcandala, imò ludibria; Abbas Pariſius Janſenii, dum viveret, caſtra ſecutus eſt, hinc Archiepiſcopi & Jeſuitarum odia adverſus frequentia, quæ ad tumulum ejus edebantur miracula; Agmina Paſtorum de veritate miraculorum deponentium, atque examen Præſulis fruſtra efflagitantium contemnuntur, Medici de veritate eadem perhibentes Teſtimonia negliguntur; primarius Status Secretarius Medicum celebrem, D. Renaume duriſſimè habuit, exprobravitque ipſi judicium pro veritate hujus ex iſtis miraculis ab ipſo latum; Si Moliniſta fuiſſet Abbas, omnia forſan cum applauſu reciperentur, ſed æquum non eſt ad Janſeniſtæ tumulum fieri miracula;

 nemo-

nemoque facilè in vaſta urbe dubitaret de ſanato miraculosè famulo Ducis de Chatillon, à paralyſi ſiniſtri lateris hac via ſubitò liberato, niſi Moliniſtica Schola Abbatem damnaſſet. Dederunt iſtæ lites occaſionem huic noſtræ diſſertationi, legimus iſta facta, rationesque pro & contra allegatas, merentur iſta attentionem Medicorum, ſed nondum maturæ ſunt iſtæ lites, nec de iis ferre adhuc judicium ſuſtinemus. Cautè ſanè hic Medicis pronunciandum eſt; ipſorum ſemper erit ferre judicium de veritate talium miraculorum, quibus & fraudes accedere poſſunt innumeræ, graviterque querebatur doctiſſ. Lanciſius quantum ipſi operæ, quantum ſolicitudinis indies offerant graviſſimæ quondam & maximè ſeriæ circa canoniſationes miraculorum dijudicationes, quibus Pontifex ejus oneraverat conſcientiam. Eandem nos circumſpectionem commendamus in præſentibus pagellis. Veritati omnes alii cedunt reſpectus, hæc unicè curæ eſt cordato Medico. Quò rariora ſunt hodiè vera miracula, eò tardius, nec ſine evidentia ac convictione plena ſententiam dicet Medicus, cui curæ cordique eſt Dei gloria, ſcopus ipſius unicus, cujus intuitu vileſcunt ipſi cætera omnia.

Chri-

CHristiani nominis hostes, Celsus, Porphyrius, Julianus, aliique hujus furfuris homines, quantumvis impii, non omnem tamen exuerant frontem, neque enim audebant negare miracula Christi, etsi ea Magis adscriberent artibus; Modernorum tamen quorundam Empæctarum impudentia horum longissimè superat impietatem, cum & negare facta haud erubescant, & in allegorias transformare evidentissima miracula; adeò exiguum illud, quod ipsis obtigit, rationis non excolunt, sed absurdè ac stolidè agunt in transversum, ut spiritu vertiginis abrepti historicam negent veritatem, negentque proin principia, indignique sint quibuscum disputemus. Parum hi nocebunt Christianismo, nec seducent nisi miseros quosdam, datosque in reprobum sensum socios suos. Id tamen mireris, eorum deliria publicè typis exscripta prostare, imò & novis impunè editionibus multiplicari. Heteroclitæ scilicet mentes hodiè in gradibus etiam altioribus abundent eminentque; placentque, ac carissimo emuntur pretio impia, absurdaque, modo sint paradoxa, abeantque à sensu communi quàm longissimè.

Seculo in caducam hanc vertiginem prono, ac infeliciter in absurda ruente cum impetu quodam effreni, non equidem multum laborandum est de lavandis his Æthiopibus, eò tamen majori cautela judicandum est de miraculis, ne graviora sibi pessimis sarcasmis adducant judicia homines ipsiusmodi maleferiati. Ingenium humanum ita naturâ perversum, corruptumque est, ut cum alii certissima rejiciant, alii ex adverso nimia peccent, cæcaque credulitate. Opus ergò est criteriis etiam circa miracula circumspectè dijudicanda. Unde & Curia Romana, cui frequentissimè talia obversantur, coacta est repagula po-

nere nimiæ facilitati, cum falsa passim miracula, falsæ reliquiæ venditarentur, ipsaque interdicere his, imò occludere sacella cogeretur ob miracula non fundata, quæ emanabant cum scandalo in publicum; nulla ergò admittit, nisi à se approbata, quæque sustinuerint processum exactum ac solennem, cumque agatur plerumque de sanationibus subitaneis ac inexpectatis, solet Medicos potissimum vocare in subsidium, quorum effato superstruit decisionem suam, de quo testimonium dixit Celeb. Lancisius, Archiater Pontif. Et requiritur omninò solidum in istiusmodi casibus Medici, ingenuumque judicium, quod quidem innumeræ circumstantiæ reddunt difficillimum. Ipsaque hæc difficultas deberet formidinem incutere pronunciantibus, cum verissima illa, quæ in sacris tradita nobis sunt, miracula, stabilita semel facti certitudine tam sint manifesta, tamque evidenter divinum præferant characterem, ut nulla discussione eruditionis indigeant, sed doctis pariter, indoctisque suam illicò imprimant veritatem, id quod, si spatium nobis suppeteret, ostensu per inductionem non foret difficile. In moderna tamen incertitudine, credulitate, ac diffidentia, æquissimum est recurrere ad peritos in arte, modò illi sint solidè eruditi, ingenui, ac libera judicandi coram oculis Dei facultate præditi. Suppetant verò tales, agantque quod suarum est partium, nondum tamen evanescet difficultas in judicando, quæ potissimum nititur methodo recepta. Medici judicant in prima instantia; alii rursus Medici ferunt judicium in secunda, supremaque instantia. Judicia omnia, quæ non plena quadam parrhesia ac libertate feruntur non possunt non suspecta videri iis qui penitius, solidèque res quasvis discutiunt. Dolendæ sunt Medicorum vices tum in prima, tum in secunda instantia, quæ Acta prioris ponit pro fundamento,

quod

quod si lubricum fuerit, etiam superstructa decisio parum erit firma. Ponamus casum, uti subita quædam gravissimi morbi in melius mutatio multitudinem adstantium eventu lætorum adeò percellit, ut miraculum grata erga Deum, Intercessoremque aliquem mente proclament, Medicus videt singularem Dei in hoc ægro bonitatem ac providentiam, si miraculum strictè dictum non agnoscat, incurrit in profanitatis suspicionem, obnitendum ipsi est devotæ multitudini non sine periculo famæ, etsi agnoscat, non supra omnes naturæ vires sanationem contigisse; liberum saltem ipsi non est dissentire, quam facilè hominum timor conniventiam quandam ipsi extorquet, si maximè & ipse prius de periculo ægri summo fuerit convictus.

Trahamus huc vel tribus verbis notissimum, cujus veritatem Cel. Prof. Lovaniensis Verheyen testatus est, miraculum; Jesuita largissima hæmorrhagia ad incitas redactus, ac convulsivis inde motibus miserè afflictus, ad B. Francisci Xaverii opem novendiali devotione recurrit, ac celeri satis sanatione restituitur, cum doctissimus Medicus eum jam letho addixisset; Nemo hîc dubitabat de miraculo Sancti hujus intercessione facto; medicus ipse desperaverat; (at quoties fallimur in istiusmodi prognosibus) poteratne igitur resistere torrenti, Ordini tam perspicaci obloqui, imò propriæ inclinationi hæsitando renunciare; cum tamen cætera non ignoraret quàm subitò ægri & post hæmorrhagias enormes, imò adhuc magis post terribiles epilepsias vigorem, sanitatemque haud rarò recipiant. Pensitemus aliud quod allegant Patres Trevultienses miraculum intercessioni S. Aloysii Gonzagæ adscriptum, ubi Comitissa Juvenis febri atque accedentibus hystericis convulsionibus ad incitas redacta celeriter

resti-

restituta est; si cui libeat dubitare, atque subsistere in speciali providentia divina absque miraculo strictè dicto, is agnoscet hystericas suffocationes, internas convulsiones sæpe mentiri lethalem agonem, regressumque hinc subitò satis in melius fieri, cessantibus stricturis, cum stupore adstantium, subitaneam opem admirantium non immeritò. Medicus verò ipse attonitus, videns, audiensque applausus adstantium, imò totius urbis, ne cogitare quidem potuit de liberiore discussione, omnes mox testes cum ipso sub juramenti fide deposuerunt de veritate miraculi, & quis Illustris Familiæ, ac totius Societatis J. gaudiis ausus fuisset sub istis circumstantiis sese vel dubitando opponere. Opportuno tempore res gesta est, cum ageretur cum fervore in Curia summa de beatificatione Gonzagæ æstumatissimi, acta hæc oblata sunt alteri instantiæ, quis hîc Medicorum obstare Magnatibus petentibus beatificationem, quis Societati, quis votis omnium, formando dubia, sine periculo potuisset. Hoc volui dicere, cum supra assererem raram hic esse plenam judicii libertatem. Nec enim jam pugnamus contra hæc miracula, sed agimus de circumspectione, ac de libertate & sinceritate judicii in causis tam gravibus requisita; ubi sæpè non tutum est profiteri quæ sentias; quis enim ausus fuisset obloqui Populo Hispano, cum miraculo adscriberet madorem Statuæ marmoreæ, cœloque irritato adscriberet hoc phænomenon editum ob hæreticos protestantium milites Augustissimo Imperatori nostro tum militantes; quis inquam hîc ausus fuisset inclamanti miraculum populo objicere Hygrometra, halitusque in frigidis saxorum fornicibus concentratos in aqueas guttas, usque ad formationem juxta P. Francisci Tertii D. Lanis artificium fontium artificialium?

Sen-

Sentio verò etiam mihi agendum hîc esse circumspectè, neque enim cuiquam vel genti, vel Religioni sua vel invidebo, vel impugnabo miracula; cautelas saltem, attentionemque commendo, pensitoque quid medici in re tam ardua requirat officium. Cum ergò dicentur quædam specialius de miraculis, ea non dicuntur scopo impugnandi, sed in luce clariori vera ponendi miracula. Quæ adeò, exili nostro calculo, negari nec debent, nec possunt, ut potius existimandum sit, Deum Opt. Max. qui se tot mirabilibus, stupendisque naturæ eventibus manifestum reddit cœcis mortalibus, etiam inter omnes gentes quibusdam saltem miraculis se manifestasse, & adhuc forsan manifestare, torpidosque homines iis excitare, etsi rarò succedat eventus ob stuporem hominum. Nec dubitamus Viros Apostolicos, qui vitam suam Evangelii prædicationi inter feras gentes impendunt, posse fieri adhuc hodiè Instrumenta, in patrandis miraculis, Gloriæ divinæ. Stuporem hominum atque negligentiam modò accusavimus, quibus fit ut magnifica etiam Dei opera manere queant occulta; præprimis ubi nemo attendit, nemo inquirit nisi in mundi hujus vanitates. Nec dicas, talia non posse latere; multa sanè latent inter gentium tenebras profundas. Annon audimus continuè voces eorum qui Magiam hodiè omnem rident, explodunt-que? Annon jactant libertatem Belgii, Angliæque & locorum omnium qui hæc somnia non credant, ab hisce magis, pactisque diabolicis, quippe quæ nullibi se manifestent, nisi in terra credulorum; nos enim non dubitamus, etiam in istis terris latere occultissima (propter commoda diabolici regni cujus interest hæc non credi) cum pravis geniis pacta; possunt omninò talia occultissimo serpere cancro, uti gravissimum aliud malum diu

ibi latuit, donec aggere rupto, divinaque providentia id prudenti Magiſtratui manifeſtante, viſum eſt omnes pervaſiſſe triſtiſſima peſte reipublicæ receſſus. Inquiſitio enim ſolicita protrahit in lucem quæ altis oppreſſa tenebris quàm diutiſſimè latebant. Sed debet inquiſitio ſapientiâ atque omni circumſpectione ac lenitate niti. Si verò de miraculis Medico etiam ſenſu ac judicio dicendum aliquid cum firmitate ac ſoliditate fuerit, id agendum ante omnia erit, ut idea miraculi genuina, & characteres qui dubio careant determinentur conſenſu quodam, qui longè præferendus eſſet odiis, ſuſpicionibus, ſtudiis partium, ſimilibusque veritatis inveniendæ impedimentis. Non potuit igitur non placere nobis ardor eximii Miſſionarii P. Noël, qui cum Patri ſuo Generali de Miſſione Sinenſi, juſſu Superiorum à quibus Romam hoc ſcopo miſſus erat, plenius referret, hæc inter alia addidit verba: *Aliquot Domini Romani ſæpius ex me huc delato quæſiverunt, an Deus verbum ſuum in Sina quibusdam etiam firmaverit miraculis? His verò reſpondere ſoleo, nos hac in re non eſſe nimium credulos, nec miraculi nomen audere facto alicui tribuere, quod illud non ſine ulla contradictione mereatur ex omni parte; ſed nobis id ſufficit, quod certos eventus, qui alii quàm divinæ ac ſupernaturali virtuti adſcribi haud poſſunt, miros appellemus eventus, quorum quidem in China numerus eſt inſignis.* Non poterat latere Virum prudentem, ſocios ſuos hîc nimium eſſe faciles, ac pro miraculis venditare, quæ perſpicacibus æquè ac incredulis poſſent videri dubia; quorum & mox ſubjungit exempla. Transeat verò apparens contradictio verborum ipſius in ſe laudabilium.

Si enim omnia illa quæ hominum mentes graviter afficiunt, quorumque cauſæ manifeſtæ non ſunt, ſed in

divinæ

divinæ providentiæ ſinu paulò profundius latent, miraculis accenſeas, nulli ſane genti, vel Sectæ denegari poſſunt miracula; nec deberet una alteram ex quadam quaſi invidia excludere; uti Scriptor qui Turretinianam Nubem Teſtium impugnavit dictatoriè aſſerit, Proteſtantes ne unum quidem habere miraculum. Si dixiſſet, eos miracula non expectare, vel deſiderare, fidentes quippe unicè veraci Dei verbo, imò & eos eſſe minus attentos ad talia, ac ferè negligentiores, cum alii iſtis inhiando excedant, facilè impetraviſſet aſſenſum. Dum verò cum Sociis admittit ſuæ Eccleſiæ talia miracula, quæ non inter Proteſtantes ſolùm, ſed vel inter Turcas, ac Gentiles ſeſe offerant, circumſpectè non agit. Exempla ſuggerit Vita P. Franciſci de Hieronymo, Jeſuitæ. Infans decidit ex altitudine 25. palmorum in lapideum pavimentum, mox ipſi applicatur caputium Patris, infans eſt incolumis, quoties quæſo inter Proteſtantes contingunt tales ex alto lapſus ſine ulla læſione infantum per feneſtras ruentium in plateas; idemque inter omnes contigit gentes; veneramur hîc providentiæ divinæ bonitatem, cuſtodiamque Angelorum, ad miraculum non audemus recurrere. Idem caputium Patris admotum fuit infanti à Medicis derelicto, qui ad ſe rediit; quam quæſo vaſtus eſt numerus ægrorum Medicorum judicio lethaliter decumbentium, qui tamen ſine miraculo evadunt in omni terræ angulo, etſi nemo inclamet miraculum. Infans natus mortuus teſtimonio adſtantium, & aſpectu cadaveroſus reviviſcit ope patris; quoties verò id vidimus, & quoties id contingit in omni gente, ut infantes naſcantur adſtantium judicio mortui, aſpectu cadaveroſi, qui vel momento poſt reviviſcunt quaſi, clamant, ac rubicundum induunt colorem, pulmonibus ac corde ſanguinem jam liberius propellentibus ac transmit-

 ten-

tentibus; durat sæpe satis diu illa mors apparens, verum non est mors, sed debilis vitæ qualiscunque occultatio nata ex pressura enormi capitis sub difficili partu angustiisque nimiis; multis sæpe ac diuturnis opus est excitamentis, frictionibus, odoribus fortissimis, insufflationibus violentis, antequam cordis machinula incipiat agere, animatis jam vivacius torpidiusculis ejus fibris: ac recordamur pueri talis nulla arte excitandi, donec ex succini accensi frusto decideret ardens guttula in præcordia, qua adustione mox excitatus vixit, vixitque diu sine miraculo. Concionabatur Pater in foro Neapolitano ingenti multidini, rheda prætervecta, equis perterritis frenumque mordentibus prosternit infantem, mater ejus Patrem objurgat, accurrens ille facto crucis signo attollit puellam sanam, salvamque ac subridentem. Si hanc providentiæ benignitatem agnoscant esse miraculum, omnibus miracula nationibus largiuntur, loquitur experientia, talesque exhibet prostratorum hominum sine læsione ruinas, etsi & multi alias succumbant, graviterque lædantur. Pluviam post longam siccitatem ipsius precibus obtentam miraculum si dicas, ubique exempla talium reperies; facilè hîc obtinent fallaciæ non causæ ut causæ, nec quod precibus obtinetur statim miraculum est. Medicus qui panis micas à Patre relictas ægris pro remedio exhibuit cum fructu potuit errare in judicando, nullibi frequentius erramus, quam in assignandis sanationum causis; pilulæ aliâs ex pane recenti formatæ purgarunt fortiter juvante persuasione & forti imaginatione; imò recordamur lapillorum pilulas exactè referentium, eadem vi alvum moventium fortiter. Quod de hernia infantis quadriennis dicitur Patris ope sanata, aliis quoque gentibus miracula adscribit, tales enim herniarum sanationes in infantibus

tibus ſunt frequentes, fibris proceſſuum firmioribus redditis, iterumque meliori firmitate adſtrictis, ſicque inteſtinis exitum denegantibus ulteriorem. Carinolæ Epiſcopi veſicula ſub lingua ſæpius poſt inanitionem iterum repleta, tandemque linteolo Patris tacta exareſcens poſſet tum dici miraculum, ſi non conſtaret ubique talia in iſtiusmodi veſiculis tandem planè ſanandis evenire. Infans ſeptem annorum, filamento ex Patris tunica deglutito cœpit loqui; in tempore venire omnium rerum primum eſt; tarda verò linguæ molimina ad loquendum tandem, vel piſciculo avidè deglutito, evaleſcentia exhibet dudum ſine miraculi inclamatione hiſtoria Medica. Infans quem Apoplecticum adſtantes dicebant, reſtituitur à Patre ad lachrymas ſui Patris; rarò Infantes ſunt Apoplectici. Internis verò convulſionibus immoti ac quaſi mortui jacentes in quavis gente deprehenduntur reviviſcere quaſi ſubinde tales infantes. Infans clauſas à nativitate habuit palpebras, imagine Patris impoſita apertæ illæ fuerunt; ſive conſtrictæ ſpaſmis fuerint, ſive ſanie conglutinatæ potuerunt ſine miraculo aperiri. Ac dum Prælatus quidam juratò aſſerit ſe ope Patris à tribus morbis incurabilibus fuiſſe ereptum, debet tamen agnoſcere, ſe non poſſe ita poſitivè decidere, quid ſit incurabile, ac ſibi non ita conſtare certò potuiſſe, an Patris hoc interceſſio patraverit, nec quicquid precibus obtinetur dici debere miraculum.

Non urgebimus præſentiam Patris ſimultaneam in Provincia, & in urbe Neapolitana cum qua analogiam habet, quod refertur de P. Baldinucci, Jeſuita quoque ipſos Trappæ incolas auſtera vita ſuperante, hic multo populo comitatus tendebat Anagniam, evanuit is ex ocu-

lis populi, eodemque tempore in oppido Anagnia, plusquam horæ ſpatio inde diſtante fuit præſens. Nemo non videt, poſſe ex horologiorum maxima diſparitate talia etiam alibi evenire, cum populus in via tempus horologii urbis præciſè noſſe non potuerit, imò nec verum tempus. Nolumus tamen his inſiſtere, ſunt enim incerta & difficilia, attinguntque celebrem controverſiam, an repugnet idem corpus eſſe ſimul in duobus locis, quam B. Leibnitius, in decidendo alias non timidus, non auſus eſt decidere. Ipſaque temporum diverſa in diverſis locis ratio, vel ex ipſa loci longitudine, vel ex incuria horologia dirigentium orta, rem hic reddit intricatam, uti de P. Antonio Patavino narrant, eum Romæ eadem hora ac Ulyſſiponæ fuiſſe concionatum, ubi multæ quæſtiones concurrunt, & ipſa quoque diverſa longitudinis & proin horarum ratio attendi debet, ſi ſupponas raptum ab uno in alium locum ſubitaneum, ſed non libet iſtis inſiſtere. Sæpe etiam non ſufficienter enarrantur circumſtantiæ talis phænomeni, uti e. g. cum dicitur S. Franciſcum Xaverium in ſtraminea caſa aſſidentem, ea incenſa ab Indis, non fuiſſe combuſtum; annon potuit inde egredi pater, imò annon debuit? ne tentaret Deum. Annon hoc & alii ſine miraculo potuiſſet accidere. Sic cum recenſetur Miſſionarios nec à Tigribus, nec ab Anguibus fuiſſe læſos, agnoſcimus providentiam Divinam, miraculum non agnoſcimus, niſi & talia aliis ſectis velit tribuere adverſarius Turretini. Idem de Incendiis circa certas ædes Chriſtianorum ſubſiſtentibus dicendum, cum & alibi mira ſæpe hujus generis occurrant phænomena. Id unum liceat addere, jungi ſæpe talia miracula, quæ æqualitatem ratione dignitatis non videantur habere, & minora majoribus præferri, cujus habemus exemplum

in

in recensione P. Juliani de Vergara, qui tria recenset circa martirem P. Fiol à Caribibus percussum miracula, primum censet maximum, quod aliis minimum videbitur, Fiolii scilicet ossibus in Ecclesiam Casanatam delatis, subitò inter depictas ibi in tabula Sanctorum imagines, ipsius quoque imaginem, à nemine ibi pictam, comparuisse miraculosè; ubi tamen imaginatio facilè potuit habere locum, quæ de similitudine imaginum mira diversitate judicat, sicque hoc aliis non magnum videbitur, qui reliqua duo difficilimè admittent, scilicet capsæ ligneæ, quæ ossa recipere ob parvitatem non poterat, subitaneum incrementum, & fluvii Piraquæ, in quo adversus currentem non poterant deferri sacra ossa, mirabilis complacentia, quod refluxu suo versus fontem detulerit Casanatam sacras reliquias. Nec sanè scribuntur hæc, ut omnia Missionariorum miracula vocentur in dubium, supra enim jam mentem nostram aliter declaravimus, sed ut commendemus magis solicitam dijudicationem ac distinctionem eorundem, quæ non permittet uni tantum sectæ hoc attribui privilegium, ac requirit omninò solidiorem characteris miraculo proprii determinationem, quam antea desideravimus.

Impingunt enim hic etiam magni nominis Viri, exemplum modò exhibuere doctissimi Patres Trivultini, qui ista P. Franc. D. Hieronymo miracula recensent, dudumque omnes alias sectas à miraculorum excludunt consortio, quo jure vidimus modo, dum Noëllii cautelam non sequuntur, sed laudant adversarium nubis testium omne miraculum Protestantibus denegantem. Et hi tamen (si brevis, nec aliena à scopo digressio veniam accipiat) ipsis Patrum Exc. verbis probare possent, quod aliâs ipsi afferunt, reformationem ipsam, spectatam in successu suo

mira-

mirabili esse miraculum, cum enim recensent solidum Dittoni de Resurrectione librum, pro divinitate Religionis Christianæ probanda, sequentia adhibent motiva, etiam pro Reformatione egregiè, eodem jure militantia: *L'excellence de la morale Evangelique, le progrés etonnant que la Reforme, qui enseigne cette morale, fit dés sa naissance, sont autant des preuves celebres de la verité retablie. Les preceptes de l'Evangile (rendus aux fideles par la Reforme dans leur pureté) sont tous utiles au repos, & au bonheur de la societé, tous convenables à l'interet, & à la perfection de la nature humaine, tous infiniment dignes de Dieu. Se pourroit il faire que l'origine de la reforme (qui nous a rendu ce tresor) ne fut pas celeste? Rappelons les belles victoires que la Reforme dans sa pureté remporta sur des ennemis, que leur esprit, leur pouvoir, & leur malice rendoient si formidables. Nous reconnoitrons dans ses progrés la main de Dieu, qui seul pouvoit accompagner d'un succés si rapide, une entreprise, conduite par des voies qui naturellement devoient la faire echouer. Tant de grands evenemens qui l'ont suivi, ne rendent ils pas solennellement temoignage à la divinité de cette Religion retablie; si cela n'étoit pas venu du Ciel, & n'en eut pas eté avoué, Dieu n'eut pas permis cette grande revolution.* Grata mente protestantes sua facient verba hæc tantorum virorum, Reformationis æque ac Religionis divinitatem indubiè demonstrantia; nec proin tam contemptim sentire deberent de piis etiam dissidentibus acerrimi Censores, qui magnos quidem illis negare passus non audent, eos tamen extra viam esse odiosè statuunt. Facile est sibi, suisque tribuere Pietatis Monopolium, tueri verò illud difficillimum. Quid verò ista in Medica dissertatione? dicent Clar. Viri; aliud non respondemus, quàm nos in Medendi Methodo ordinis esse tenacissimos, in scribendo

autem

autem ingenuæ indulgere libertati, æquitati tamen ſemper innixæ. Transeant verò iſta.

Quandoquidem verò Medico ſuppetere debent certa criteria, ac characteres, quibus diſcernere miraculum, atque agnoſcere cum certitudine queat, patet eo ipſo, non poſſe eum penitus à principiis Theologicis hoc in negotio abſtrahere, ſed potius ex altiori iſto foro exhaurire, quæ conducere ipſum queant in via adeò ſalebroſa, atque tot difficultatibus expoſita, cum timore enim ac reverentia eò magis verſandum eſt in arduo hoc negotio, quò impudentius fæx mortalium mente captorum in illius viſcera graſſatur. Plurima tamen huc ſpectantia exhibet ſolida Diſſertatio de Miraculis Weiſmanniana. Definitio igitur genuina ante omnia ſtabilienda eſt, optandumque eſſet ut in ſimplicitate veterum definitionum acquieviſſent Moderni, nimiam enim affectando ſubtilitatem rem intricare magis quàm declarare ſolent. Potuiſſent omninò manere in definitione Thomæ Aquinatis, qui illa ſimpliciter miracula eſſe dixit, quæ divinitus fiunt præter ordinem communiter ſervatum in rebus; cum quo conſentiens Muſæus inquit: *Miracula propriè loquendo ſunt effectus rari & inſoliti; præter ordinem totius naturæ creatæ à Deo producti.* Nimiæ ampliationes ac præciſiones bona intentione ſuperadditæ vel nihil dicunt, vel rem intricare ſolent. Et ſanè raritas in definitionem aſſumta alias hominum pravorum peperit definitiones, qui cum Lentifice Spinoſa ipſam miraculi Eſſentiam ineptè in inſolito, raroque eventu poſuerunt. Cui porrò bono de gradibus miraculorum tam ſolicitè ratiocinantur? Cum e. g. dicitur: *Summum gradum inter miracula tenere, in quibus aliquid fit à Deo, quod natura nunquam facere poteſt: Secundum gradum tenere illa, in quibus Deus aliquid facit, quod*

natura facere potest, sed non per illum ordinem; tertium gradum, cum Deus facit, quod consuetum est fieri operatione naturæ, sed absque principiis naturæ operantibus. Gradus hi sunt respectu nostræ ignorantiæ & debilitatis intellectus, in Deo nihil ponunt graduale. Omnia hæc æqualiter sunt supra naturæ vires, fiunt sine ipsius ordinato cursu, ac eveniunt sine consueta ipsius legum applicatione. Sunt ergò æquali jure miracula dicenda, infinita vi ac voluntate facta extra ordinem naturæ; Virium in Deo gradus non sunt, ergò nec miraculorum; aut æqualia sunt hæc omnia miracula, aut miracula non sunt. Natura facere nihil potest, quod non ipsius legibus legumque applicationi indidit creator; nec aptè dicitur naturam posse facere aliquid, quod Deus facit, sed non per illum ordinem, ipsa natura nihil aliud est nisi ordo præscriptus actionibus creaturarum à Deo, juxta quem omnia ordinariò fiunt, ubi istæ leges non agunt, & tamen opus sistitur, ibi est summus gradus miraculi, operatio solius Dei, cæcitati nostræ impervia.

Turbat quoque hos Theologorum circulos recentior animadversio Viri & moderatione & penetratione clari, D. Prof. Holmanni, qui definitionem illorum genuinam graviter insectatur, vidit dubio procul vel per microscopium quoddam, vel polyhedricum vitrum difficultates ex illa germinantes periculosas, quæ efficiant, ut in dubium non solum vocari possit, sed etiam debeat, si sua constare miraculis dignitas, & religioni veritas debeat; parcius ista tamen Viris Optimis erant objicienda. Approbamus quidem omninò Cautelam Ipsius, monitumque: Non posse ulli vitio verti, si propter solam dicentium autoritatem nihil admittat amplius, aut ulli calculum rei sine rigoroso examine prævio nunquam adjiciat:

Occa-

Occaſio tamen condendi hunc canonem non debebat ſumi ab innocenti prorſus, tot præſtantiſſimorum Virorum approbatione fulta definitione. Rationes Viri Cel. nos haud movent ad aſſenſum. *Multa dicit eſſe miracula quæ cæteris paribus non omnes naturæ vires ſuperent, quæritque: Quis adeò audax, vel rerum omnium ignarus eſt, ut hæc omnia talia eſſe (miracula ſcil. veteris Teſtamenti) dicat, quæ omnium cauſarum ſecundarum vires ſuperent, atque à minore virtute, quam ea, quæ naturam ipſam condidit proficiſci nequeant? Addit 2. neminem mortalium nunquam ſcire potuiſſe quid miraculum ſit, quia nemo vires naturæ, nedum totius, accuratè intellexit, aut unquam intelliget. Hinc 3. periculoſiſſimas fluere conſequentias, ſecuturum enim, pleraque ſcripturæ miracula non eſſe vera, & cum religionis Chriſtianæ Veritas inter alia argumenta miraculis quoque innitatur, nulla verò ſpes ſit, fore, ut per integram vitam noſtram ad adæquatam virium naturæ cognitionem perveniamus, per integram quoq; vitam de veritate religionis Chriſtianæ fluctuandum eſſe, quamdiu ſupponatur miracula vires naturæ omnes ſuperare.* Nos hic deprehendimus argumentum clariſſimum infirmitatis humanæ; nemo alias æquior eſt in diſputando, nemo acrior in retundendis iniquioribus conſequentiarum fabris D. Holmanno; incidit tamen hîc bono animo in errorem eundem, nectitque conſequentias funeſtas, ubi locum illæ habent nullum, ubi nec agnoſcuntur, nec agnoſci poſſunt à parte adverſa; quia miracula non in circumſtantiis individualibus intuetur, ſed in generali ſua habitudine ac poſſibilitate, quod tamen fieri nulla ratione debebat. Nos enim, juxta ipſius verba ſupra allegata, ita eſſe audaces, rerumque omnium ignari volumus, ut omnia Vet. Teſtamenti miracula talia eſſe dicamus, quæ omnium cauſarum ſecundarum vires ſuperent, atque à minori virtute, quam

ea, quæ naturam ipſam condidit proficiſci nequeant. Miramur hinc doctiſſ. Viri verba: Verbo miracula in illo rerum naturalium nexu, ſeu mundo, ad quem intuitu temporis & exiſtentiæ ſuæ pertinent, in natura cauſarum naturalium fundata non ſunt, alias enim non eſſent miracula, licet multa eorum ita comparata ſint, ut in alio cauſarum atque effectuum nexu fundata utique eadem eſſe poſſent. Quam hîc nobis Utopiam loquitur Vir Cl. de miraculis ſermo eſt religionem Chriſtianam confirmantibus, hæc in hoc nexu rerum floret, alius mundus nec datur, nec dabitur, cui ergo bono ad alios nexus mentem reflectimus, cur intricamus rem ſatis in ſe difficilem ſine neceſſitate. Etiam nos probamus eorum ſtudia, qui omnia probantes, nihil admittunt, niſi ſatis firmatum. Abſit verò ut hæc extendamus ad talia quæ firmis nituntur fulcris concutienda; talemque cenſemus hanc definitionem. Quod attinet ad exemplum ibi allegatum de pluvia Eliæ preces ſecuta, fatemur multas cadere pluvias, ſed non ſumus ſoliciti de pluviis in alio mundo imaginario; imò concedimus, alios, etiam non empæctas, dubitare poſſe, an pluvia illa fuerit verè miraculoſa. Suſpenſio pluviæ tam diuturna fuit ſine dubio miraculoſa, ſuſpenſis tamdiu in Athmoſphæra halitibus, in ſacro verò textu non dicitur pluviam fuiſſe miraculoſam, potuit enim Deus ad preces Eliæ removere obſtaculum, ſeu relinquere ſibi diſſipatos tendentesque ad coalitionem vapores, ſicque oriri pluvia ordinario ſibi jam relicto naturæ curſu ac niſu. Docent ſanè hîc omnia, nec dignitatem miraculorum ſatis fuiſſe expenſam, nec naturæ ordinem ac vim ſatis perſpectam. Malumus igitur retinere definitionem antiquam, cum revera novam, melioremve non dederit Vir Cel. Dum enim contendit,

mira-

miracula esse effectus supernaturales, hoc est, ex causarum secundarum operatione non oriundos, sed ab ipso Deo productos; nihil prorsus aliud dicit, quam boni illi veteres qui ipsi vapulant. Utut enim dicat aliam illam esse, quia non præcisè neget, in alio rerum ordine alioque mundo potuisse talia à causis secundis produci, hoc ipso tamen nihil dicit, quid enim ad nos alius mundus, quid ad Christianam religionem, cujus periculum ipsi incutit horrorem. Et si quidem putes te habere aliam definitionem novam, statim tamen recides in antiquam, si enim quærat incredulus, cur ab ipso Deo hæc sint producta, quove id constet argumento, responderi aliter non potest, quàm patere id ex eo quia effectus omnes naturæ excedat vires; egregio circulo; & qui eandem offert difficultatem, ac necessitatem omnem naturæ vim exactè cognoscendi, quæ tam periculosa videbatur. Theologi sanè & expresse extraordinariam Dei allegarunt operationem, & ne per somnium quidem cogitarunt de possibilitatibus, quæ obtinerent, si aliæ leges naturæ, alii rerum ordines à Deo essent constituti. Cum enim rectè exsibilent miserabilem Spinosam has leges necessarias, & ex ipsa Dei essentia natas existimantem, eo ipso agnoscunt Deum potuisse alium mundum, alias leges condere, quid verò hæc ad miracula hujus mundi commodis data ac inserta; vanum est loqui de alio ordine, qui nonnisi in possibilium vasto ambitu fingitur, quæriturque, & cum his miraculis nexum prorsus habet nullum.

Cum Theologi dicunt, omnem naturæ vim superare miracula, loquuntur de hujus mundi Mechanismo sapientissimè constituto; & quis aliam novit naturam? nullum ergò hîc periculum est. Veneratur Vir Cel. Scripturæ miracula, cui ergò bono tam liberaliter ostendere libuit

 buit

buit ea vires naturæ omnes non excedere. Quid enim intelligit per naturam? Vocet etiam in subsidium Spiritus finitos, quorum vim nobiscum profundissimè ignorat, nihil tamen proficit; nec in æternum probabit suum effatum. Aquæ maris rubri stabant erectæ instar murorum; & nos audemus affirmare, tale quid hoc esse, quod vires causarum secundarum, etiam spiritus cujusdam finiti, vel plurium etiam, infinitè superet. Quis ipsi permittit talia fingere pro lubitu? Nota nobis est aëris compressio, noti omnes antliæ pnevmaticæ effectus ab undecim inde lustris, novimus quid hydrostatica doceat circa elevandas, retinendasque tantisper in sublimi aquas, sed quid ista ad vastissimos illos crystallinosque Arabici sinus muros, qui maris illius vastitatem, profunditatem, cum orientali mari nexum omnesque pensitat circumstantias facilè judicabit de verbis seq. *Hoc ergò modo, vel per solius aëris aquæ incumbentis, fortiorem compressionem & attolli aqua, & murorum instar contineri in situ, ipsius ejusdem aëris compressi ope commodè posset.* Egregia commoditas, modo etiam modus fuisset indicatus, probatumque Spiritus finitos ita posse condensare & comprimere athmosphæram, ut sustentet fluctus vastissimos tot milliarium; Solus hoc Deus potest. Hic non indiget antliis pnevmaticis; quarum tamen effectus in formandis talibus muris aquaticis hactenus Philosophi non potuerunt ostendere, quod quemlibet hodiè posse nimis liberaliter asseritur. Dabuntur ne his Spiritibus corpora, manusque satis amplæ quæ muros istos fluidos detineant; an relinquentur illi suæ puritati spirituali; in profunda nostra istarum rerum ignorantia, non deberemus esse adeò audaces in conjecturis, ut ea tribuere creaturis audeamus, quibus summa Majestas voluit non Ægypto solum, sed populis

omni-

omnibus manifestare omnipotentiam suam, gloriamque immensam; alieni sanè sunt ab ea arrogantia Spiritus finiti puri, ut sibi tribui patiantur quæ soli omni potentiæ relicta, ac inter divina reservata sunt; pravi autem Spiritus quid valeant sub judice lis adhuc hodiè est, sunt valentiores quàm forsan increduli, ipsorum mancipia fidelia, existimant, eò tamen eorum vis non evalescit, ut tam vastum mare elevare in muros possint, quorum nec ministerio usus fuisset Deus, ipsi sibi eo casu futurus contrarius, cum indurato Pharaoni voluerit ultima quasi scena apertissimè vim suæ gloriæ ac potentiæ ob oculos ponere, qui conspecta illa eosdem, secutus Israëlem, subiit, eos solidiores quam quidem re ipsa erant, existimans, sicque plenam Majestatis unius veri Dei convictionem in ipso exitii sui puncto obtinuit. Sed nec Vir Cl. dubitat de solius in opere hoc Majestatico Dei concursu; nos saltem ne possibilem quidem fuisse alium asserimus. Neque existimamus elicitam ex Petra aquam, quanquam hîc ex causa supernaturali ac infinita factum, id reverà fuerit, fieri tamen ab inferiore quadam potuisse, etsi nullum planè Viro Cl. supersit dubium. Totum prolixum ratiocinium nos non movet; in siccissima Arabia, tantam aquæ vim tantis castris sufficientem, ex petra virgæ percussione elicere solius Dei est. Latentes venæ hîc non sufficiunt. Et quibus haustris creati Spiritus immensam aquæ vim ex visceribus terræ per solidas rupes in hanc petram intulere. Eò vis eorum non pertingit. Aliter aquam in unum cogere ea copia, ut vastissimis sufficerent castris, in deserto, nec venti, nec tempestates ea ratione possent, divina eò vis sola sufficit. Solos rebelles Coram, sociosque, eorumque habitacula terræ faucibus absorberi, sine ullo viciniæ damno, sine prævio

vio terræ motu, omnipotentiam requirit operantem, novimus ruinas urbium, origines abyssorum, stagnorum, sed non sine terris sulphureis, cavernis subterraneis, cuniculis subversis &c. Muri Hierichuntis potuissent arietibus infringi, sed non uno impetu concidere ad tubæ sonitum, finiti Spiritus tanta vi non pollent, si verò ut instrumenta Dei id agant, æquè homines pares erunt tantis rebus, sed tanquam instrumentales causæ, ubi vis omnis, & gloria est Dei; Sic Simson suo robore publicas ædes millibus hominum repletas non potuisset convellere, hinc robur invocavit Divinum per ipsum gratiosè operans. Columna Israëlitas regens eorum motus, stationesque accuratè direxit, voluntas Dei sola, nulla intelligentia huic rei par erat; Lux increata hîc sola fulsit. Enecandi vis igni naturalis est, non verò ea ratione qua periit Nadab & Abihu, altius tum principium requiritur. Ignis cœlitus Eliæ tempore delapsus sacrificium, aquamque absumens altiorem habet necessariò originem quàm fulmina. Ignem in sua ἀκμῇ, in fornace extra ordinem æstuante ita avertere à corporibus, vestibusque, ut igniculorum rotatio confusa, scindens, lacerans, fundens omnia, tendens quaquaversum, extrorsum solùm vibretur, nec ullum nisum exserat in corpora profundissimè, intimèque immensa, infinitam requirit in omni casu Virtutem. Nec tam facile videri debet, aquam noxiam, amaramque salubrem reddere; aut famelicos Leones continere. Natare ferrum in circumstantiis historiæ Biblicæ non nisi divinitus juberi potuit; etsi enim hoc scopo Deus non habuerit necesse congregare vim materiæ magneticæ ad protrahendum ex aquis ferrum, sed sola suspensione gravitationis columnæ aquæ ferro, perpendiculariter incumbentis, quo ipso circum-

stanter

ſtantes columnæ mox natare faciebant ferrum, id tamen non niſi Divina vi, extraque omnem naturæ potentiam potuit evenire. Quamvis enim cum Connoriano Evangelio Medici ſolam legum ſuſpenſionem ad miracula explicanda ſufficere non exiſtimemus, hoc tamen in caſu talis ſuſpenſio gravitatis ſufficere poterat. Utut infantia noſtra præſumere non debeat, ac ſi vias Domini poſſit agnoſcere. An ulla virtus finita efficere poteſt, ut cadaver attingens oſſa ſepulta vitam recipiat? an potuit umbram facere retrogradam? an ſanare Hiskiam ac vitæ prorogare annos? Paucis omnia Scripturæ miracula ita ſunt comparata, ut certitudinem, ac evidentiam ſuam ſecum portent, omniumque animis mox imprimant. Si cuipiam Allegoriſtæ Woolſtono, aut inepto Deiſtæ aliter videatur, hi relinquendi ſunt ſtultitiæ ſuæ; falleretur, quisquis crederet tam profundè cauteriſatos quadam vocularum in definitione mutatione ad meliorem mentem poſſe reduci, ut rectius ſentiant de religione; alius ipſorum ſcopus eſt, alia infelicium iſtiusmodi operum deſtinatio, quæ penitus deberet contemni. Manent miracula firma pro veritate Religionis argumenta; nihil ipſi metuendum eſt à recepta definitione; evaneſcit omne periculum, omnis umbra periculi; ſi exactam virium naturæ, quidque illæ valeant, notitiam excludamus à dijudicandis miraculis, uti excludi omninò debent. Hoc habent divina Scripturæ miracula, ut ſua mox radient luce, ut doctos æquè ac indoctos ita dignitate ſua, ac claritate feriant, ut divinam unicè agnoſcant originem, ſine examine virium naturæ, hîc planè ſuperfluo; evidentiam tam manifeſtam, heteroclita quædam, impiaque capita obfuſcare minimè poſſunt, nec debent. Ut taceam aliud eſſe fidei lumen, aliud rationis. Vidimus

jam circa exempla veteris Teſtamenti divinum miraculorum charaĉterem ; libet verò nunc quoque penſitare aliqua novi Teſtamenti miracula, eorumque illuſtrem divinæ originis lucem atque convictionem, non mentibus ſolum indoctorum illuceſcentem ſponte ſua, ſed & doctos indubiè convincentem. Conceditur viſio perfecta homini à nativitate cœco, contingit id in publico, ne hoſtes quidem Chriſti de rei veritate dubitant; quænam hîc naturæ vires eò usque evaleſcunt; ſive enim ungues obtexerint corneam, ſive hæc transparentia caruerit, ſive glaucoma Cryſtallini radiorum impediverit tranſitum, aut pellicula pupillæ prætenſa, ſive retinæ varices, aut ſerenæ guttæ in optico nervo obſtructo geneſis poſtea radicata viſum abſtulerit; hanc certè nobilis ſenſus productionem tam ſubitaneam nemo non divinæ tranſcribebat virtuti, quæ ſola radiis viam dare, Spiritibus liberum influxum per cœcos nervorum canales valet; quæ ſola annihilare atque auferre ſuffuſionem, cellulas cryſtallini limpidas, radiisque pervias efficere, unguemque celeriter in tenues diſpergere auras valet. Et quàm clare id comparuit in cœco ſenſim reſtituto, ubi radiorum tranſitus ex parte reſtitutus confuſè arborum ſpecie repræſentavit objecta, mox pleno ipſis tranſitu dato accuratè omnia viſui oblata ſunt. Confirmat id cœcitas S. Pauli, à Deo ſolo & facta, & ſublata rurſus, utrumque ictu quaſi oculi; nec enim ſolùm lux divina vi radiorum intolerabili retinæ fibrillas obtuderat, ſed creverant ſubitò in oculis ungues, qui accepto Baptiſmo feliciter ac ſubitò decidentes furfurum ſpecie plenum reddebant radiis per limpidam viam ingreſſum. Quisquis oculi attentè ſcrutatur, novitque penitius ſtructuram, ac teneritudinem delicatiſſimam iſtarum partium, aſſenſum mihi haud negabit.

Si

Si talia hodiè fierent, nemo, nisi insaniens, naturæ hæc viribus transcriberet. Nec lacûs Siloæ Aqua, nec saliva Salvatoris vi naturaliter medicinali restituit visum, quod ex abundantia acuminis quibusdam placuit statuere. Contrarium omnes historiarum illarum docent circumstantiæ, ipsaque mali vis. Aurem ense abscissam solo attactu pristino vitali circulo restituere humorum, ac vitalitati, tubulosque & canales tam aptè iterum conjungere divinam requirere vim ii facilè agnoscent, qui difficultates Chirurgiæ curtorum Tagliacotianæ (quam in Galliis multis ambagibus nonnemo in scenam voluit reducere) penitius introspexerit, noveritque quàm nihil spei sit in tali abscissa parte semel penitus separata. Fæmina (Luc. 13.) miserè contracta per plura lustra, unico quasi momento rectitudini restituta efficacissimè probat & infinitam Christi vim, & existentiam morborum Dæmoniacorum seu Magicorum, cum Servator ipse testetur, tendines istos contractos fuisse, ligatosque à Diabolo. Illud ergò fascinum potenter solvit Christus, & naturalem flexilitatem, mollitiem, tonumque restituit tendinum diuturna tot annorum mora induratorum quasi, exsuccorum, occallescentium simul vi divina restituit; uti surdum mogilalum, soluto quoque infesto Satanæ vinculo potenter integritati restituit. Tot in his omnibus casibus concurrunt restituenda, corrigenda, stabilienda, mutanda, ut sperare id à creatura, vel naturæ vi ulla, sit prorsus absonum, ac rationi sanæ contrarium. Solo vocis imperio ad vitam revocare mortuos tam sublime est, ut nemo vel Physicorum, vel Medicorum vim eò naturæ sufficere sine impudentiæ nota sit affirmaturus; Juvenem jam elatum mandato efficaci in vitam restituere plurimum dicit; quis nisi summus naturæ arbiter potest

 unio-

unionem animæ corporisque ſemel ruptam, ſublatumque conſpirantium partium commercium reſtituere in integrum, vel ſtupidiſſimi hoc agnoſcunt; habentque & Eruditi quo obſtupeſcant, ſi Lazarum jam fœtentem videant obſequi mandato Chriſti, ac redire non ſolum in vitam, ſed & ligatum adhuc ex ſepulchro prodire, tum demum ab arctiſſimis liberandum vinculis; hîc non ſufficiebat reddita mentis cum corpore unio, reſtituenda erat partibus ſolidis, fluidisque integritas, vivacitasque priſtina, molimina putredinis jam profundiſſima erant eliminanda, fibræ tono ſuo reſtituendæ per Spirituum novorum influxum, horum novæ generationi aptanda organa, nervorum tubuli illis influentibus reſerandi, coagulum humorum ſolvendum, hydroſtatica cordis machina novis motibus excitanda erat; innumera enim hic concurrebant miracula in unum mirabiliter concentrata. Si quis verò videret Hydropicum ſubitò, ſoloque attactu ab infauſta mole liberari, an is prius, antequam agnoſcat miraculum, inquiret, an ſaccatus fuerit hydrops, an abdominis cavum repleverint aquæ, an rupta vaſculorum Lymphaticorum latera coaluerint, an vaſa reſorpſerint ſerum ſtagnans, an ſcirrhoſum hepar potuerit poris denuò apertis functiones obire priſtinas, ſimiliaque; agnoſcet ſanè vel ex his ipſis ſuis ſcrupulis, ſanationem talem naturæ viribus eſſe ſuperiorem. Magnam Socrus Petri febrim tactu manus tollere, dicit, malignitatem, putredinemque incipientem, ſanguinis turbationem mixturæ intimam redigere in decentem ordinem ictu oculi; quis iſta tribuet finitæ potentiæ, etſi non ſciat nec naturæ macrocoſmicæ, nec microcoſmicæ virium menſuram. Sanguinis fluxum inveteratum, ubi occalluerant oſcula aperta, ubi fuſio in ſanguine vapeſcente erat cachectica, nul-

nullis naturaliter repagulis coërcenda, cohiberi tactu vestimenti ictu oculi, restituto in integrum & uteri tono, & sanguinis crasi, creatas penitus superat vires. Si videres hominem immobilem vel resolutis musculorum & ligamentorum fibris, vel siccatis, fortiterque adstrictis & contractis, vel Spirituum omni cessante influxu in organa motus, portare subitò lectum cui incubuerat, possesne dubitare de vi altiore quàm humana, ac naturali. Siccatam manum in publico consessu & conspectu omnium restituere in integrum, fibris reddere robur, tubulis cavitatem, liquidis per eam circulum, toti organo pristinum ictu oculi vigorem solius Dei est. Quisquis structuram auris intimius perspexit, & mollis nervi per cochleæ ac Labyrinthi mæandros reptationem, & linguæ intricatos musculos, restitutam subitò auditionem & loquelam eò magis mirabitur, Deumque authorem tantæ rei glorificabit, cum legit grande illud Christi miraculum. Spiritibus malignis absoluto imperio injungere obedientiam, eosque sedibus pellere innumeros, & in circumstantiis infinitis ipsorum vim omnem retundere ac reprimere creatas vires infinitis superat parasangis. Vipera mordet Pauli manum, venenum subit massam sanguineam, incolæ expectant virulentiæ tetra Symptomata, salvus manet Apostolus, venenum non potuit pervertere sanguinem, nec coagulare, nec fundere, adest, ac si non adesset; naturæ vis veneni penetrantissimam acrimoniam, fermentumque viperinæ salivæ activissimum cohibere nunquam posset: nec opus est omnem naturæ energiam habere perspectam, ut id agnoscas, qui viperei veneni celerrimam vim norunt, agnoscent miraculum sine requisitione ulterioris notitiæ. Siste tibi animo virum membris omnibus ligatum, cujus articuli pedum

inde à pueritia occalluerant cum tendinibus, ligamentisque, ubi ſuccus ex glandulis lymphaticis æquè ac ſebaceis ſtillans concreſcendo impediebat omnem articulationis uſum, autoritate nominis Jeſu mox in pedes proſilire, ſaltare, exultare in conſpectu populoſæ urbis, ne hoſtes quidem Apoſtolorum audent negare factum, populus omnis agnoſcit miraculum; imò Liſtrenſes de iſtiusmodi miraculi veritate divina adeò erant convicti, ut ex Apoſtolis illicò facerent Deos, quia omnes hominum vires ſuperare agnoſcebant, tam ſubitam, tam in oculos omnium incurrentem, & omnem medendi artem ſuperantem ſanationem.

Et quem quæſo acutiſſimi Philoſophi nexum cauſarum detegent inter Petri umbram, viliaque Pauli lintea, ac graviſſimorum malorum depulſionem efficaciſſimam? annon potentiſſimum Numen rebus adeò nullis, adeò vilibus vim ſuam admirandam manifeſtare voluit, potuitque in conſpectu populorum, ſtupendos effectus viva fide à rebus adeò exilibus expectantium, anhelantiumque. Mandatum ſubitaneum Pauli Elimam Magum oculorum mox uſu ac pelluciditate ad tempus privans omnes dubio procul mox de vi majori, ac prorſus eminenti convicit. Aquam convertere in vinum optimum primum Chriſti miraculum fuit, gloriam ejus manifeſtans, illudque lubens reponet inter primaria, quisquis naturæ librum penitius paulò habens perſpectum innumeras coctionum ſucci in vite viciſſitudines ac gradus, partiumque lentas ac incredibiliter varias combinationes attentiori meditatione, cum geneſi ac transmutatione hac ſubitanea contulerit. Quænam Creatura poteſt prævidere nummum in ore piſcis liberè in ſtagno vagantis, ac jubere piſcem ut ad capiendum ſe offerat? ſimilesque ſtupen-

pendos præſcientiæ divinæ in Chriſto ſe exſerentis effectus? Quis non obſtupeſcit ad Parrheſiam Pauli omnes ſecum naufragio vicinos de vita ſecuros eſſe jubentis? Quies mari imperata; cibatio tot millium multiplicatione panis, piſciumque; horumque in retia incomprehenſibilis coacervatio meritò autoptas in ſtuporem terroremque dedit. Linguarum verò donum tantum eſt, ut ne quidem comprehendi à finito intellectu queat, linguæ pendent à conſenſu hominum, operoſè verba & cum rebus junguntur & memoriæ imprimuntur, hîc verò ſimul ac ſemel non unam, non duas, non tres, ſed omnes artibus indigentes linguas, at! quàm diverſas, loquuntur aſſeclæ Chriſti. Nec minus fit miraculum Poireti explicatione. Inſculpere tot ideas diſtinctas tabulæ mentis raſæ eſt ſolius omnipotentis ſplendidiſſimum negotium, exſerens ſeſe non in paucis, ſed in numero innumerabili fidelium eo dono ornatorum in primitiva eccleſia. O quam dura hodiè miſſionariis incumbit neceſſitas, abſurdas diſcendi linguas, immenſo labore ac ſudore; nulla nunc, quod mireris, tanti doni veſtigia; quod olim erat tam frequens, tam vulgatum; adeò diſtinguit Deus naſcentem, puramque Eccleſiam, à tepida, frigidaque Moderna! Luculentiſſimum verò divinitatis miraculorum argumentum incomprehenſibilis eorum præbet numerus; cautius diſcant mercari qui indiſcriminatim raritatem inter criteria miraculorum referunt; noſtris ea temporibus congrua eſt; Chriſti & Apoſtolorum tempora frequentiam omnium mentibus, oculiſque obtrudebant inſcrutabilem; quoties dicitur: & ſanabantur omnes! projiciebantur ægri ad pedes Salvatoris; conſidera regionem Judææ populis refertiſſimam, urbem omnes Europæ urbes incolarum numero ſuperantem; per annorum

norum tractus omnes ægri pro lubitu sanabantur, quotquot poterant adduci; imò si Apostolorum per tot gentes itinera adjeceris, numerus exsurget uti ineffabilis, ita incredibilis sanatorum, superans plurima millia, imò plurimas myriades; hi omnes clamant, testanturque, nec vel Judæi, vel Gentiles audent negare, quod in oculis omnium erat factum; huc verba Johannis faciunt, negantis, mundum posse comprehendere omnia Christi & Apostolorum facta si referrentur cum suis circumstantiis, sunt enim innumera, imperscrutabilia, infinita, abscondita mortalibus Sapientiæ divinæ opera.

Eant nunc profani ac semidocti Woolstoni, Massei, aliique ejusdem furfuris Severambici nugatores, audeantque infringere, supplantare, in Allegorias convertere facta in omnium coævorum oculis gesta. Qui ipsorum næniis moventur, semina ejusdem malitiæ in se jam habuerunt germinantia. Evidens est, non requiri exactam virium naturæ notitiam ad miracula agnoscenda, insinuant se illa vi divina menti benè præparatæ, abripiuntque assensum dum fiunt, adeò ut vel exinde possit Medicus, miraculum dijudicaturus, de certitudine & dignitate ejus fieri certior, si illud propius accedat ad miraculorum Christi evidentiam, contradictioni haud obnoxiam. Ac tale quidem fuit quod in Ducatu hoc nostro Leobergæ in publica Concione totiusque civitatis præsentia superiore seculo contigit, alibi à nobis jam allegatum, ubi fœmina per plurimos annos adeò contracta ac quasi concreta, ut manibus æquè (scabellis munitis) ac pedibus miserrimè incederet prona in terram defixa, subitò fide plena inter sermonem Ministri Ecclesiæ de efficacia fidei in integrum restituta erexit corpusculum, nudum eo ipso partium ob vestes huic situi non proportionatas, adjecerunt

cerunt mox fœminæ ſiparia ſua, nec quisquam dubitare vel potuit, vel voluit de manu Dei omnipotente hoc miraculum magnificè perficiente in publico conſpectu Eccleſiæ; etſi nemo perſpiceret, quâ ratione ligamenta indurata, tendines contracti ac eo ipſo aridiores, brevioresque, & calli articulorum tam celeriter potuerint induere flexilitatem, tonique priſtini vigorem, mollitiem, ac ſtabilitatem. Tale tamen non audemus pronunciare, quà evidentiam, Pariſienſe anni 1725. à Cardinali Noallio publici factum juris, agnitumque miraculum, plenius jam D. Prof. Holmanno perpenſum; reſpondet quidem breviter Doctiſſ. Viro Diarium Trivultinum: *Mr. Holmann ne tire point ſes objections des exemples allegués dans les procés verbaus de Canonization, c'eſt ſuccomber.* Nec tamen ſufficit dixiſſe: *Succubuit.* Reſpondendum erat ad argumenta. Nos litem hîc miraculo huic non movebimus; nec diffitemur tamen, id multis intricari dubiis, ſi quis legerit varias chartas volantes, in ipſa Pariſiorum urbe impreſſas, quæ de Medicorum hæſitatione, affectus in declinationis ſtatu conſtituti decremento antecedaneo, remediorum aſſumtorum frequentia, ſtatu ægræ morbido poſt ſanationem, &c. plurima ſuggerunt dubiam reddentem facti ſpeciem. Iſta verò nihil ad nos. Viderint alii an hæc Jeſuitarum verba conveniant cum judicio Bibliothec. ratioc. Europæ, dicentis: Il eſt à remarquer, qu'entre tous les miracles (allegués par l'adverſaire de Mr. Turretin) il ne parle point du tout de celui de la Dame la Foſſe. C'eſt ſans doute, que l'auteur eſt ami des Jeſuites, & que ce miracle eſt de contrebande par raport à eus. Hoc ſaltem ſufficit monuiſſe, tales eventus, evidentiæ ſingularem illum characterem præ ſe haud ferentes, omninò attentam Medicorum requirere dijudicationem, ut libe-

ra mente, nec ligata aliunde agant, & pronuncient, ſicque altiori Tribunali non qualiacunque, & quæ dicuntur aliâs pro Amico, offerant deciſa, quod quidem ſæpiſſimè difficultatis habet plurimum. Non ſufficit ægros convaleſcere, ac tribuere ſuam convaleſcentiam precibus alicujus Sancti, ſed requiruntur tales inſuper characteres, qui τὸ ſupernaturale evidentia quadam peculiari, vel ſaltem tali, cui ſolidi quidpiam opponi haud poſſit, in tali eventu Medicorum, omniumque æquius judicantium calculo ſtabilire valeant.

Non cumulabimus confirmantia theſin hanc noſtram exempla; duobus erimus contenti, quæ ſuggerunt Teſtimonia duo Gallorum Canadenſium. Colit hæc Gallorum Colonia æſtimatque, Virginem Irocoam piè defunctam, hanc miraculis poſt mortem inclareſcere ſcribit P. Cholence, additque ex majori quem laudat, imò ingenti numero duo hæc exempla. Dominus de Colombiere, Canonicus, & Generalis Vicarius Quebecenſis teſtatur, ſe inde à Januario ad Junium usque tarda quadam febri fruſtra medicamentis impugnata laboraſſe, acceſſiſſe fluxionem, ne hypecacoanhæ quidem cedentem. Tandem ſe voviſſe iter ad tumulum Catharinæ Tegah-Kuita, mox facto voto evanuiſſe febrim, fluxionem verò fuiſſe imminutam; navi dehinc ſe petiiſſe locum, vixque emenſa tertia itineris parte ſanum penitus evaſiſſe, huic ergò ſanctæ virgini hanc adſcribit ſanationem. Dominus de Luth, Gubernator Fortalitii Frontenac, teſtatur, ſe per annos viginti tres podagra variè vexatum, ut vel ad trimeſtre extenſi ſubinde fuerint dolores, refugium itaque ſuum ſumſiſſe ad Virginem Irocoam Catharinam Tegah-Kuitam; finita igitur novendiali in honorem ipſius devotione, ita fuit à podagra liberatus, ut per quindecim jam

men-

menſes liber ſit à podagra. Cum febres per tot menſes tardius affligentes frequentiſſimè per ſe tandem ſoleant ceſſare, reſtituta & remediis & diætæ regimine maſſæ ſanguineæ mixtione antea turbata, facilè hîc fuerit committere fallaciam non cauſæ ut cauſæ, ſi ſine acriori examine domeſticis fidatur ac partialibus, de facto ope virginis miraculo, teſtimoniis; cum & podagræ, poſt longos inſultus, longas quoque concedentis inducias ſuppetant non infrequentia exempla. Abſit igitur ut impugnem veritatem ſanationum, maluiſſem tamen videre teſtimonia, rationibus firmata, D. Saraſin, Regii Quebecenſis Medici ac Conſiliarii. Vidimus Cel. hujus Viri teſtimonium ab ipſo expetitum ab Epiſcopo Quebecenſi, circa quinque Religioſas è ſepulchris eductas, ac 25. circiter annos ibi detentas. Primæ pedes, brachia, humeroſque naturalibus multum ſimiles deprehendit. Pectoris ſummum ſub claviculis patebat in cavum pectoris, facies quaſi deleta, cutis attenuata cum cranio concreverat in unum corpus. Auris avulſa ſanguinem fudit rubentem, muſculi induruerant; Odor antri potius, quam cadaveris erat fœtor. Manus ſecundæ conſumtæ, & facies, reliquum ſatis integrum. Gaudebat de invento egregio Epiſcopus cum Religioſis. Tertia tota deſtructa, excepto pede extremo, oſſa calcinata nigra. Duæ reliquæ penitus conſumtæ. Terra erat argillacea, compacta, quam nec aër penetret nec aqua, calx quæ cadaveribus injecta erat alicubi deprehendebatur adhuc viva, & ardens ubi incubuit manibus benè conſervatis. Variolis occubuerant. Quærit an Calx balſamum fuerit ſe inſinuans & indurans muſculos? conſiderat terram compactam plusquam balſamum quodcunque, aërem arcendo, conſervantem; quærit tamen cur partialis illa æquè ac

calx fuerit. Non tacuit, varias dari cavernas cadavera naturaliter integra conſervantia. Tandem factum vocat problematicum; modeſtiſſimè quidem; & ne gaudium D. Epiſcopi monialium interrumperet, addit, ſi decidendum aliquid ſit, rem habere aliquid extraordinarii, &, ſubjungit, poſſem forſan ſine temeritate plus dicere. Agnovit Doct. Vir difficultates circa talia miracula perpetua obvias, in ſpecie circa Sanctitatem ex integritate Cadaverum judicandam. Novit innumeras oſſium reliquias, de quorum Sanctitate ipſius Eccleſia haud dubitat. Interim laudantur tot corpora adhuc integra. Gallia oſtentat corpus S. Claudii & S. Anthelmi; Italia S. Catharinæ Bononienſis, S. Claræ de Montefalcone, S. Agnetis de Montepulciano, S. Roſæ de Viterbo, S. Nicolai Tolentini, S. Caroli Borromei, S. Magdalenæ de Pazzi. Hiſpania S. Narciſſum, S. Ferdinandum, S. Iſidorum, S. Tereſam; Portugallia S. Eliſabetham; Anglia S. Eduardum; Belgium S. Hubertum, India S. Franciſcum Xaverium. Quærit adverſarius D. Turretini, ſi natura hæc conſervet corpora, cur non & Proteſtantes præſervet? ſi verò Diabolus, cur non conſervet Magos quoſdam potius, vel ſceleratos. Quærat aliquem qui ipſi reſpondeat ad magiſtrales has quæſtiones; inter Proteſtantes nemo inquirit in hanc rem; idque eò minus, quod ſciunt, Eccleſiam Græcam, vaſtam illam & antiquam, oppoſitum planè contendere, nempe excommunicatorum corpora non poſſe in terra conſumi, niſi ſolvatur ab Eccleſia excommunicatio, cujus quoque ritum attingit in Itinerario D. de la Motraie. Sancti & excommunicati plurimùm inter ſe diſtant. Ajuntque autoptæ conſervationem non ſemper adeò eſſe integram. Tantam verò integritatem nemo facilè finxerit, qualem Author Diarii

Lite-

Literarii ann. 29. exprobrat Præfecto Languedoci Bavillio, malleo Hugonotarum, & sub quo tot eorum millia, teste Boulainvillierio, igne, laqueo, & rota perierunt, ita verò ille: Nous avons eté fort surpris, d'y trouver un fait, qui ne devroit pas etre apuié sur l'autorité d'un homme du merite & de la capacité de Mr. de Basville, il dit, que le Corps de S. Fulcran, Eveque de Lodeve, qui s'étoit conservé entier, pendant 567. ans, fut dechiré par les Huguenots, qui vendirent sa chair à la Boucherie; il auroit du nous dire, si elle fut vendue pour du veau, ou pour du mouton. De corpore Martyris P. Fiol effosso dicit P. Julianus de Vergara, ipsius carnes fuisse similes planè lacti coagulato, unde facilè fuerit conficere sceleton desideratum, quia carnes tales atque omnes partes molliores facile separabantur ab ossibus; uti refert ex Letr. edif. P. Stœklin. Medicorum sanè & hîc in judicando sunt partes, non equidem de sanctitate, sed de causa integritatis, hinc D. Sarrasin prudenter factum vocat problematicum in isto Ecclesiarum dissensu. Nodum verò nec Medici, nec Physici solvent, cum toties intervenerit jam decisio Sedis Romanæ. Quanta verò in agnoscendis miraculis perpetuis cautela opus sit, cumprimis nos docuit relatio Chirurgi Galli Ponceti de tali miraculo, hic rediens ex Aula Æthiopica, in quam deductus fuerat ad ægrotantem Imperatorem per Hagi-ali ipsius Ministrum, rediens adiit Monasterium, in quo illud conspicitur, de quo ita scribit: *Deductus ab Abbate in Templum, volui videre miraculum, cujus gratia è via excesseram, quodq; mihi videbatur incredibile, nisi à me conspiceretur; persuaserant enim mihi, in altaris sinistro latere bacillum solidum ex auro hærere suspensum libere in aëre sine ullo fulcro inde à trecentis annis. Cum rem ita deprehendis-*

 sem,

ſem, ſuſpicabar tamen, an non hæreat bacillus ſecreto quodam, tenuiq́ fulcro, nudo oculo haud perceptibili, rogabam hinc Abbatem, ut permittat mihi accedere propius, remq́ accuratè perſpicere. Ut igitur certus de re iſta fierem, baculo meo bacillum aureum undiq́ circum exploravi, ſupra atq́ infra, anterius, poſteriusq́ baculum circumducendo, atq́ infallibiliter cognovi, hærere id prorſus liberè in aëre; ad quod experimentum eò magis exhorrui, quo minus rei tam extraordinariæ cauſam naturalem potui detegere. Subierat mentem actio validi Magnetis, bacillum ferreum auro inductum forſan ſuſpendentis; cogitaveram de luſu Optico, latente cavo ſpeculo, cujus proprietas eſt, res extra ſe in aëre ſuſpenſas monſtrare. Deſii verò ſolicitus eſſe de ratione hujus miraculi, partim quod idem Poncet dicat, ſe obſervaſſe Zibethum nil eſſe niſi animalis iſtius ſudorem pectine collectum, arboremque Caffe erroneè deſcribat, tribuit enim ipſi ſiliquas fabarum ſiliquis ſimiles, tum verò cumprimis, cum legerem Dominum le Grand, editorem Itineris Æthiopici P. Lobo recenſere Ponceti reditum in Pariſienſem urbem, atque uti ille de domo fuerit in domum deductus, ubi ſua omnibus vendiderit mendacia, fuiſſe enim hominem ex mendaciis ac fraudibus totum conſutum, compoſitumque, qui & à Rege iterum miſſus in Æthiopiam fuerit, qui verò comites prope rubrum mare deſeruerit, rapta ſecum ciſta Medico-Chirurgica regiis impenſis egregiè inſtructa, abieritque in Provinciam Jemen, Suratam inde petiit, tandem Iſpahanum ingreſſus ibi finiverit vitam fraudulentam. Nolumus nos de illo pluribus judicare, poteſt mendax aliquando verum dicere.

Amplum porrò aperit Phyſicis Medicisque diſquiſitionibus campum Adverſarius D. Turretini, dum magnificè extollit miracula & perpetua ac permanentia, & perio-

riodica; dum allegat Hoſtias diutiſſimè conſervatas, mures per S. Ulrici terram ex ejus Diœceſi fugatos, S. Januarii ſanguinem capite admoto bullientem, Sanguinem Johannis Bapt. in eadem urbe, Corpus & Stolam S. Huberti contra rabiem caninam in Templo Andarienſi, illiusque ſtolæ pilos, nunquam imminutos, vulneri inſerendos &c. Verum non libet id mare ſpecialius ingredi, nec enim ſuppetunt data certa, factaque experientia circumſpecta omnibus comprobata, ſine factis verò, datisque progredi in veritate inquirenda non licet; dudumque iſta ſunt in foro Romano ita deciſa, ut ſuffragia aliorum non deſiderentur.

Claudendi verò jam nobis ſunt rivi, etſi ſuppeterent plurima Medicam ad ſe conſiderationem ampliori opera trahentia. Id ſedula inquiſitione atque attentione advertet prudens Medicus, vires creatas nulli miraculo propriè dicto ſufficere; quia hæc vires naturæ penitus excedunt; nec propriè loquendo vires Spirituum finitorum pertinent ad naturæ vires, ad mundum illi ſpiritus omninò pertinent, naturæ autem leges corporibus datæ ſunt; vires verò quas habent ſunt finitæ, creatæ, miraculis præſtandis prorſus impares. Specialia providentiæ divinæ opera Medico indies obvia ſunt, quæ verò ſapientiſſimè à Deo cauſarum naturalium actionibus ordinatiſſimis prævidendo ac providendo ita inſeruntur, ut miraculorum propriè rationem, characteremque non habeant. Nec ii, qui rem penitius attentiusque ponderarunt, videre audent cum aliis diſtinctionem inter miracula & mirabilia, quicquid bonus regerat Poiretus, fundatiſſima enim eſt in mente eorum qui à partium ſtudio ſunt alieni, Medici mirabilia Dei opera tam frequenter habent obvia, toties τὸ θεῖον mirantur, ac venerantur; miracula parcius ipſis occurrunt, ſi in rigore talia requiras. Mirabilia ſanè ſunt Magica,

Dæmo-

Dæmoniacaque opera, miracula non ſunt; dudum novimus hypertranſcendentem Modernorum quorundam ſcientiam hæc exſibilare in totum omnia, nos circumſpectius incedentes, frequentes errores faſtidimus, vera autem facta, omninò paſſim, ſi ulla ſupereſt Hiſtorica fides, obvia, non audemus negare, etſi noſtram ſuperent diſtinctam cognitionem. Etſi verò eo ipſo debilioribus adſcribamur Spiritibus, quorum nemo acumini pyrii pulveris mortalibus adeò noxii inventionem adſcripſerit; etſi ſtupori, ſimplicitati, ac inadvertentiæ Medicorum autoptarum malint omnia adjudicare facta illa ſubtiliſſimi materialiſtæ, nos tamen veritates tam manifeſtas negare non audemus. Nec ponderabimus nunc argumenta, quæ opera Diaboli vel mero luſui, ac fraudi, vel reali operationi adſcribunt; videtur enim nobis, ſi quid liceat ſuſpicari in his tenebris, eſſe in omnibus iſtis factis, quantumvis ſtupendis, aliquid reale, noſtras vires, & notiones ſuperans, & ſimul ordinariè aliquid illuſionis, atque apparentiæ. Circulatores ea præſtant, quæ ſimplicioribus Magica mox appellantur, ſufficit eò eorum agilitas, dexteritas, actuum celeritas; Maligni Spiritus hos magnis paſſibus, gradibusque ſuperant, ſed & legibus naturæ ita uti occultis combinationibus agentium poſſunt, ut luſibus atque agilitati ſummæ jungatur realitas non inficianda; minimè tamen miraculoſa. Quarum quidem rerum eventa magis arbitrabatur Cicero, quàm cauſas quæri oportere; quippe qui contentus erat, quod etiamſi quomodò quidque fiat ignoret, quod fiat intelligat; quippe qui dudum perſpexerat, nonnullos etiam tædio inveſtigandæ penitus veritatis, cuilibet opinioni temerè potius ſuccumbere, quàm in exploranda pertinaci diligentia perſeverare, quod omnia in rebus humanis dubia, incerta, ſuſpenſa, magisque omnia veriſimilia, quàm vera exiſtiment. Ubi lucula aliqua ſeſe prodit, ſemper inquirendum ulterius, acriusque inſtandum; non tamen ultra debitum, ſcopumque noſtrum; hinc Medici non adeò attendunt modernis quæſtionibus, an Spiritus finiti agant in corpora? quomodo agant? an corpora habeant? an & peculiaris pro illis ſtabilita ſit harmonia? an ſit inter ipſorum corporumque actiones aliqua proportio? Hæc relinquunt Philoſophis, expectantque quieti clariores idearum in iſto campo evolutiones. Caventes aſſiduè ne quid in Syſtema Medicum ex Phyſicis irrepat non ſatis firmatum, probatumque.

F I N I S.